



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

IV. Libertas constituta est à Felice III. in eo ut Ecclesia sinatur uti legibus suis, in caussis Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

Capitularibus Regum, & in Tabulis anti-  
quis. Quin & privilegia monasteriis con-  
cessa, quibus ab Episcoporum jurisdictione  
eximerentur, Libertates monasteriorum  
dicebantur, ut patet ex Marculfo, & ex ip-  
sis Libertatum tabulis; & apud recentiores  
Græcos eodem sensu dicuntur monasteria  
libera, sive ἐκκλησιῶν καὶ μοναστηρίων, in Con-  
stitutione Alexij Comneni. Sed de Liber-  
tatis illo genere, quo personarum & rerum  
immunitas Ecclesiis concessa continetur,  
Tomo secundo copiosè disputabitur.

IV. Succedit alia libertatis ecclesiasti-  
cæ significatio, quam à Felice III. primùm  
asserat Gregorius VII. ad plures articu-  
los extendit, ut mox dicam. Sed priùs ex-  
pendenda est Felicis sententia; qui liber-  
tatem in eo constituit, ut Ecclesiæ sinatur  
ut legibus suis in causis Dei. Agebatur de  
Petro Alexandrino Episcopo ob hæresim  
Eutychianam damnato, & de Acacio Con-  
stantinopolitano, quem Felix à communio-  
ne sua repulerat, quòd absque sedis apo-  
stolicæ mandato Petrum anathemate sol-  
visset. Legatis ob eam rem in urbem re-  
giam missis, à Zenone violatis, Felix de  
contumelia illara conqueritur, suadetque  
Principi ut acquiescat damnationi Petri &  
Acacij: Puto, inquit, quòd vobis sine ulla  
dubitatione sit utile, si Ecclesiam Catholicam ves-  
tri tempore principatus sinatis uti legibus suis,  
nec libertati ejus quemquam permittatis obsi-  
stere, qua regi vobis restituit potestatem.  
(Scilicet Basilisco tyranno ab Orthodoxis  
repulso) Certum est enim hoc rebus vestris esse  
salutare, ut cum de causis Dei agitur, juxta  
ipsius constitutum, regiam voluntatem Sacerdo-  
tibus Christi studeatis subdere, non præferre, &  
sacro sancta per eorum presules discere potius  
quàm docere, Ecclesia formam sequi, non huic  
humanitas sequenda jura præfigere, neque ejus  
sanctionibus velle dominari; cui Deus voluit  
clementiam tuam pia devotionis colla submitte-  
re; ne dum mensura cælestis dispositionis exce-  
ditur, eatur in contumeliam disponentis. Totum  
locum consultò descripsi; quia graviter of-  
fensum sui Principes admonet, ne cum de fidei  
negotiis agitur, auctoritate sua, quæ in Ec-  
clesiæ subsidium illis data est, decretis apo-  
stolicæ sedis renitentur, atque ita sibi hu-  
manarum rerum fastigium noverint esse  
commissum, ut tamen ea quæ divina sunt,  
per dispensatores divinitus attributos per-  
cipienda non ambigant.

V. Certissima est ergo regula quam Felix  
præscribit, libertatem Ecclesiæ in eo ver-  
sari, ut legibus suis utatur in causis Dei. Sed  
Gregorius VII. eam libertatem ad certa  
quædam disciplinæ capita extendit. Vnde

factum ut Sacerdotium & Imperium inter  
se commissa sint, populique Christiani in  
Europa dirissimis & diuturnis bellis lugubri-  
ter attriti, cum Gregorius pro libertate  
Ecclesiæ restituenda, & Henricus Impera-  
tor pro juribus Imperij retinendis, conten-  
derent. Libertas à Gregorio vindicata,  
Principes ab episcopatum investituris ar-  
cebat: quæ deinde porrecta fuit ad eas im-  
munitates significandas quæ omnem om-  
nino in personas & res ecclesiasticas aucto-  
ritatem Principibus adimunt. Gregorius  
VII. in diffidio cum Henrico passim liber-  
tatem Ecclesiæ obtendit: *Nobilius esse di-  
gnoscitur, multo tempore pro libertate sanctæ  
Ecclesiæ decertare, quàm miserè ac diabolicè ser-  
vitiis subjacere.* Eadem sententia Paschalis  
II. respondit, apud Sugerium, Legatis Hen-  
rici, qui Investiturarum usum retinere vo-  
lebat, *Ecclesiam pretioso sanguine Jesu Christi  
redemptam, & liberam constitutam, nullo modo  
ancillari oportere.* Goffridus Vindocinensis  
multus est in ea controversia; & commen-  
dat libertatem Ecclesiæ, quam profectam  
contendit à Christo, hac collectione quæ  
fortasse laborat vitio synonymiæ: *Quando  
Ecclesia seculari potestati subjicitur, quæ anti-  
domina erat, ancilla efficitur, & quam Christus  
Dominus dicitur in cruce & quasi propriis ma-  
nibus de suo sanguine scripsit, chartam liberta-  
tis amittit. Hanc enim libertatis chartam Chri-  
stus vindicavit in cruce, & suæ sponsæ Ecclesiæ  
per semetipsum dedit; ut homines alios per pec-  
catum factos diaboli servos, ipsa libera liberos &  
Dei filios faceret & suos, qui sibi diligenter ser-  
virent, & tanquam bonæ matri devoti filij hu-  
militer obedirent.* Attamen sapienter monuit  
idem Goffridus his contentionibus minui  
libertatem Ecclesiæ, ideòque maximè ca-  
vendum ne nimis præfractè exigatur: Nam  
Rex & Romanus Pontifex, cum unus contra  
alium, alter pro Regni consuetudine, alter pro  
Ecclesiæ libertate, erigitur, regnum illam con-  
suetudinem obtinere non potest, nec poterit, &  
Ecclesia sua libertatis amittit plurimum. Infrà:  
*Habeat Ecclesia suam libertatem; sed summo pere-  
caveat, ne dum nimis emunxerit, eliciat san-  
guinem, & dum rubiginem de vase conatur era-  
dere, vas ipsum frangatur.*

VI. Imminuta esset libertas Ecclesiæ, si  
à Principum secularium imperio libera, ab  
Episcopis iniqua servitute premeretur.  
Quare Synodus Ephesina Oecumenica li-  
bertatem Ecclesiæ in veterum canonum &  
antiquæ consuetudinis observatione collo-  
cavit adversus Antiochenum Patriarcham,  
cùm de Cyprii Episcopis controversia in-  
cidisset. Etenim Ioannes Antiochenus, post  
obitum Troili Episcopi Constantiæ, (quæ

Greg. I. 9. ep. 31.

Sugerius in vita Ludovici.

Goffridus in opusculis, ad Callixtum Papam, cap. 6.

Cap. 41

Q iij

Apud Com...

Tom. 1. lib. 4. c. 10.

Tom. 1. lib. 4. c. 10.

Ben. Mar. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Felle ep. ad Zenon. Angli. edit. 9 R. P. Simondo in App. Cod. Theo. dcl. pag. 118.

Jan. c. 1.

Gal. 6.